
Ayuntamiento de Cádiz


UMASS
BOSTON

✝

ORATIO INAUGURALIS

QUAM

IN SOLEMNI STUDIORUM APERTURA

SEMINARII GADICENSIS

DIVO BARTHOLOMAEO DICATI

PRO NOVO CURSU

HABUIT

B. D. Josephus Maria Leon et Dominguez,

PRESBYTER,

INSTITUTIONUM RHETORICARUM

IN EODEM SEMINARIO

PROFESSOR.

ANNO DOMINI MDCCCLXXIX.

CUM APPROBATIONE ET EX MANDATO

Illustrissimi atque Reverendissimi D. D. Jacobi Catalá et Albosa,

HUJUS

DIOECESEOS DIGNISSIMI PRAESULIS.

(SEMINARII SUMPTIBUS.)

GADIBUS.—TYPIS FRIDERICI JOLY.

MDCCCLXXIX.

Illustrissime ac Reverendissime Domine:

Humana atque divina inter se in scientiis ita conjungi, ut rationis ac revelationis auctor unus idemque sit agnoscendus Deus, nemo est qui non videat. Luce clariora fulgent antiquitatis scripta monumentaque permulta, quae hanc veritatem etiam incredulis evincerent, si recto ac sereno animo ab ipsis perpenderentur. Adhuc in umbra mortis et inextricabilibus erroris tenebris miseri populi nationesque sedebant; nondum Patris Splendor, aeternum lumen, in humanis ad hominem reparandum apparere dignatus erat, et illius veritatis vestigia omnium animis inebant. Oratoriae Romanae princeps, eloquentissimus Tullius, sic ajebat: "Omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se continentur." (1) Ac iis artibus etiam Philosophiae studium, in quantum ars est, regulasque tradit ad dirigendum per veritatis viam intellectum, apud illos comprehendebatur, quae "scientia rerum omnium sive divinarum sive humanarum" tritam definitionem sortiebatur. Et sane, si "invisibilia ipsius Dei a creatura mundi, ut ait Apostolus, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur, sempiternaque ejus virtus et divinitas," (2) iis humanitatis artibus quasi per gradus ad

(1) In oratione pro A. Licinio Archia, poeta.

(2) Ad Romanos, cap. I., vers. 20.

Omnipotentis sublimia ascendere homines posse clare perspicitur. "Artes humanitatis nominantur, ait peritissimus, Hispaniae decus, Ludovicus Vives; reddant nos humanos: a Deo optimo sunt traditae, reddant bonos."[3] En vinculum a Cicerone adumbratum. Ab ipso aeterni luminis fonte, Divino Verbo, traditae sunt humanitatis artes; ab ipso fonte limpidissimae lymphae scientiae bonitatisque ad humana corda manarunt, quia "Deus scientiarum est"[4] ac "imago Bonitatis Aeternae;"[5] in ipso fonte puros latices, ad recte animos et corda informanda, homines alte imbiberunt. Ac nisi per labem originalis culpae illorum corda animique faedata fuissent et in deterius commutata, ut Tridentina Synodus ait,[6] nec populi nec nationes hunc fontem ipsis ¡proh dolor! quasi excaecatum vidissent.

Sed Verbum quod apud Deum erat, in terris effulsit, et humani generis redemptione peracta pretiosissimi sui sanguinis pretio, ex latere ejusdem Christi in cruce dormientis Sancta Mater erupit Ecclesia. Tunc humanitatis artes, per longum tempus vitiis erroribusque servientes, sicut ancillae ad dominae pedes cecidere humillime. Ac earum studium a veteribus modo "praevia ad christianam fidem institutio,"[7] modo "Christianismi praeludium et auxilium,"[8] modo "ad Evangelium paedagogus"[9] non immerito fuit appellatum.

De iis quidem humanitatis studiis, prout ad juvenes ecclesiasticis disciplinis informandos attinent, non multis ab hinc diebus, Illustrissime Domine, me, tanti operis imparem, in hoc litteratissimorum hominum concursu, solemnique hujus percelebris Seminarii apertura, tractare voluisti. Ac

---

(3) De tradendis disciplinis: Lib. V.

(4) Regum: Lib. I, cap. II, vers. 3.

(5) Sap., cap. VII, vers. 26.

(6) Sess. V, can. 1.°

(7) Clem. Alx., Strom., Lib. I, cap. XVI; Lib. VII, cap. III.

(8) Orig., ad Greg. Taum.

(9) Clem. Alx., Strom., Lib. I, cap. V.

certe, si haec litteraria opera, ut Tristium poeta luxit in Ponto,

.... Seccessum scribentis et otia quaerunt [10]

¿quomodo hujus oneris pondus, meis humeris impositum, sustinere possem, si in tanta temporis angustia atque in alio litterarum gymnasio, hisce anteactis diebus, ad juvenum examinandorum exercitia me coactum inveni? Sed Sapientia asistrici Omnipotentis Dei, ac Immaculatae Deiparae, necnon ejusdem castissimi Sponsi cujus nomine glorior, hujusque Seminarii Divi Bartholomaei Patroni auspiciis maximopere fissus, vestra venia, Reverendissime Praesul, opus aggrediar.

Haec humanarum studia veteribus, quamvis gentilibus, in quanto posita fuisse cognoscere possumus, ea Tullii elegantissima verba legentes: "Quod si non hic tantus fructus ostenderetur, et si ex iis studiis delectatio sola peteretur; tamen, ut opinor, hanc animi remissionem humanissimam ac liberalissimam judicaretis. Nam ceterae neque temporum sunt, neque aetatum omnium neque locorum. Haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur." [11] Sed apud juvenes, in ecclesiasticis doctrinis exercendos, cum loquar, alios horum studiorum fructus, ad rite adimplenda Sacerdotis muni[illegible] ostendere cupio. Vestigia Sancti Eusebii Caesariensis in hac re peritissimi premam. [12] "Ac certe quemadmodum arboris propria virtus est tempestivo fructu scatere, et tamen folia etiam circum ramos exagitata aliquid eis ornamenti conciliant; ita et

(10) Ovid., Lib. I. Trist., Elegia I.

(11) Pro Archia.

(12) Homilia XXII.

*

animae quoque primarius fructus est veritas ipsa, sed tamen haud ingratus est externae sapientiae amictus, tamquam si folia quaedam fructui et umbraculum et aspectum non inamoenum praebeant." Dogmata a Verbo Incarnato hominibus revelata, veritatem aeternam prae se ferunt: en fructus hujus arboris redemptionis, Christi cruore irrigatae. En folia virentia quae umbram venustatemque huic veritatis fructui conciliant, humanitatis artes.

Per illam peccatricem mulierem in Evangelio praedicandam, nunciante Christo, Sanctus Gregorius Papa conversam gentilitatem intelligit.[13] Illa cum alabastro venit ad pedes Domini plorans, unguentum fudit, rigavit lacrymis, capillis tersit, eosdemque quos infundebat tergebatque pedes, osculari non dessiit. Immo vero aurea monilia deposuit, vestimentaque egregia, ornataque praetiosa quae suae pulchritudinis, ad homines irretiendos vitiis, arma juvenilia fuere. Haec enim gentilitatis monilia, vestimentaque et ornata artes humanitatis sunt; iisdemque Veritas, quae est pulchritudo etiam, novis ornamentis induta, animis omnium apparuit: et alabaster, et unguentum, et lacrymae, et capilli, et oscula artium olim peccatricium, in aqua et sanguine sanctificata, aeternam Veritatis pulchritudinem mortalium oculis ad ostendendam pervenere.

Sed ne cui forte vestrum mirum esse videatur mihi tanti esse humanitatis artes, etiam illud adjungo: ordini Providentiae, "omnia fortiter suaviterque disponentae,"[14] permissum fuisse viros, sanctitate praeclaros, humanis exerceri doctrinis sacrae litterae tradunt. Liceat mihi inter plurima, aliquid delibare. Dei populi per desertum annis quadraginta ductor, antequam secreta Domini in Horeb Sinaique montibus penetraret, ad populum in lege docendum, "omni sapientia Aegyptiorum est eruditus, eratque potens in ver-

---

(13) Homilia XXIII.

(14) Sap. Cap. VII. vers. 1.

bis."[15] Sic per illam sapientiam, humanam quamvis multisque fabulis erroribusque irretitam, ad Eum *Qui est* agnoscendum praeparatus est Moyses. Puer Daniel, ad somnia Nabuchodonosoris interpretanda et arcana sublimia ad finem usque temporis in terris praevidenda futura, necnon ac adventus Domini Nostri Jesu-Christi tempus praefiniendum, in ipsa regis aula "omni sapientia et scientia, disciplinaque et litteris, ac Chaldaeorum lingua"[16] doctus est plurimum. Saulus denique artibus liberalibus imbutus, et a Gamaliele doctore eruditus, ad Gentium conversionem faciendam meruit nomine Apostoli decorari.

Ac de iis humanitatis artibus, sive a philosophis sive ab historicis, sive a rhetoribus atque poetis exponantur, utendum, multa quamvis in illis reprobanda inveniamus, praesertim si de veteribus scriptoribus agatur. "Ut enim, dicam cum Eusebio laudato, reliqui solo florum bono odore ac colore perfruuntur, apes vero mel etiam ex eis excerpere norunt; ita hîc quoque, qui non solam ejusmodi librorum jucunditatem ac suavitatem consectantur, iis licet aliquid etiam utilitatis ex illis in animo reponere. Omnino igitur ad apum exemplum, his libris utendum vobis est. Illae enim neque floribus ex aequo insidunt, neque etiam ad quos advolarint, eos totos auferre conantur: sed cum ex eis quantum idoneum est ad opus, semel collegere, reliquum dimittunt. Nos quoque si sapimus, ubi quantum nobis congruit, ac veritati affine est, ex iis scriptis collegerimus, reliquum praetermittemus. Et quemadmodum in decerpendo roseti flore sentes devitamus, sic et in talibus sermonibus quidquid utile est carpentes, noxium vitemus."[17]

Sed ad magnam quaestionem in hoc themate pertractando devenimus, quae multorum animos plus aequo hujus saeculi dimidio in Gallia divisit. Catholici inter se ferven-

---

(15) Act., cap. VII, vers. 22.

(16) Dan., cap. I, vers. 4.

(17) Homilia XXII.

tissime dissidebant, et quos "classicos profanos" dicimus, ex scholis atque gymnasiis rejicere conabantur aliqui, spiritum paganismi aufugientes, qui ipsorum libris necessario exurgit. Sed nos certe credimus his auctoribus, in juventute excolenda, uti fas esse, si certis vero regulis christianae prudentiae subjiciantur. Hi libri, inquam, serio eligantur, castigatione expurgentur, ac christiano tradantur spiritu. Ac quidem animadvertendum quod obscurari non potest: non omnia iisdem auctoribus pagana esse, multaque, re vera, in eorum scriptis inveniri quae ad veritatem et justitiam et virtutem miro certe modo juvenum animos alliciant. Ita Divus Augustinus de talibus scriptoribus ipsorumque placitis loquebatur: "Sed etiam liberales disciplinas usui veritati aptiores, et quaedam morum praecepta utilissima continent."(18) ¿Et quis de praeclarissimo Sancto Carolo Borromaeo dubitare auderet? Legantur enim celebres ab ipso regulae scriptae, ad Mediolanensis Seminarii regimen pertinentes, ad executionem Tridentini Concilii decretorum de instituendis seminariis, in quibus regulis et Virgilii et Horatii et Ovidii ac Ciceronis opera clericis informandis praescribuntur.(a)

Sed operae praetium est his auctoribus christianos etiam aliquos adgregare. Refulget quidem magnus pulchritudinis ordo in ethnicorum libris, ubi magna ex parte in exquisita formarum cultura et mirabili arte situs est. Sed postquam Evangelium hominum animos illustravit ac fovit, atque ampliora et altiora intellectui cordique humano spatia reseravit, tunc apparuit novus pulchritudinis ordo, qui in se sublimior, alterius ordinis substantiam perficit, et pulchri naturalis formas accipiens, propriam tamen suam expressionem gignit, ut videre est in multis scriptis, poematibus et orationibus, quibus christiani ingenii majestas inclaruit. Magistri ergo non exponant ethnicae litteraturae monumenta, quin et christianae exemplaria tradant.

---

(18) De doctrina christiana. Lib. II, núm. 60.

Apte ad hanc rem, Concilium Rhemense, in Gallia anno labentis saeculi quinquagessimo tertio habitum, decrevit:" Christianorum auctorum libros, lingua latina et graeca et vernacula egregie scriptos, aut per excerpta, aut integros si breviores fuerint, in scholis nostrae provinciae ita adhibendos esse aestimamus, ut per educationis litterariae studium, adolescentium mentes salutaribus fluentis abundanter imbuantur, et familiari cum illis consuetudine spiritum christianum assidue hauriant."

Maximum enim juvamen his adolescentibus adfuturum in latino sermone illos exerceri; quia non tantum pulchritudinis formas sed etiam, quod magis momenti est, antiquitatis thesaurum hoc studium mentibus aperiet. In hac certe lingua scripti fuere omnium scientiarum ac doctrinarum libri, quod etiam ii qui ex graeco fonte manarunt, in Latii sermonem fuerunt elegantissime versi, ut videre est in Graecorum collectione Patrum. Ac si de rebus agatur divinis, scientiae theologicae amicissimam germanamque hanc semper fuisse linguam clare liquet. Et ecce quo mirabili modo Catholica Ecclesia linguam vere catholicam, hoc est, universalem instituit. Ad vicissim enim cogitata exprimenda ex ore prolata apud aliorum nationum filios, non parvam afferre opem omnes scimus.[(b)]

Ac de Historia pauca enucleamus, quam juvenum animis inter has humanitatis artes inducere oportet. Magnum siquidem bellum hodie in Sanctam Matrem Ecclesiam ab effrenatis movetur hominibus. Quae "Magistra vitae" a Tullio appellata fuit, hoc iniquissimo tempore "contra veritatem conspiratio" nominanda. Quare his gymnasiis catholicis populorum christianorum gesta narrantes, ea fusius explicare debemus, ac praesertim restituere ac illustrare partes historiae, quas scriptorum protestantium, impiorum, immo vero et quorumdam, ut ita dicam, catholicorum, praejudicatae opiniones et calumniae tenebris offendere ac deturpare aggrediuntur. Et si de populis ante Christi adventum

agatur, iis temporibus diminutas veritates fuisse ostendamus, moresque corruptos, prout inter gentes lumen, quod super hominis faciem in principio signatum, obnubilatum postea extitisse, humanamque philosophiam aut pravis doctrinis extirpandis impotentem, aut pejoribus producendis feracem fuisse. Postremo igitur, viam insequentes quam Magnus Augustinus in libro "de Civitate Dei," clare patefecerit, observandum quomodo inter humanas vicissitudines Divina Providentia fulgeat, quae "ludens, ut ait Scriptura, in orbe terrarum," [19] ignaros homines caeca suae sapientiae instrumenta efficit, et non dempto libero arbitrio, omnia moderatur, eventusque ad supremos fines dirigit quos ipsi nec praevident nec suspicantur auctores.

Multa quidem plura, in hac thesi de humanarum artibus dilucidanda, dicere vellem, si vestris auribus me molestum fore non accederet timor, etiam de re philosophica pertractando, eam ut jam antea dixi prout artem considerans. Magni enim interest hoc studium iis qui in hostes Ecclesiae infensissimos sunt pugnaturi: quod quamvis humanae sint artes ad haec praelianda bella, armaque et scuta, iis licet uti quibus adversarii improbe pugnare conantur. Ita Divus Hieronymus ad Magnum scribens: "Ductor christiani exercitus Paulus, et orator invictus, pro Christo causam agens, ipsam inscriptionem fortuitam arte torquet in argumentum fidei: didicerat enim a vero David extorquere de manibus hostium gladium, et Goliath superbissimi caput proprio mucrone truncare." [20] Ac quidem si Deus certissime est rationis ac revelationis auctor, evidenter etiam, ad dogmata strenue vindicanda contra philosophica deliramenta, rationi vel praeocupatae vel mala fide captae rectam rationem oponere debemus. Et sane, rationem inter et fidem minime contradictionem esse nemo est qui non videat: immo vero, si de ve-

---

(19) Prov., cap. VIII. vers. 31.

(20) Epist. ad Magnum.

ritatibus quae ordinis etiam naturalis nuncupantur et sunt, quaestio sit.

Optima siquidem ac divina certe auctoritate quae mihi deest roborata, laus de philosophia continetur in nuper edita Encyclica *Aeterni Patris*, insigne Sanctissimi Leonis Papae XIII monumentum. "Hoc quoque ad disciplinas philosophicas pertinet, veritates divinitus traditas religiose tueri, et iis qui oppugnare audeant resistere. Quam ad rem, magna est philosophiae laus, quod fidei propugnaculum ac veluti firmum religionis munimentum habeatur. Est quidem, sicut Clemens Alexandrinus testatur per se perfecta et nullius indiga Servatoris doctrina, cum sit Dei virtus et sapientia. Accedens autem graeca philosophia, veritatem non facit potentiorem, sed cum debiles efficiat sophistarum adversus eam argumentationes, et propulset dolosas adversus veritatem insidias, dicta est vineae apta sepes et vallus. Profecto sicut inimici catholici nominis, adversus religionem pugnaturi, bellicos apparatus plerumque a philosophica ratione mutuantur, ita divinarum defensores plura e philosophia penu depromunt, quibus revelata dogmata valeant propugnare. Neque mediocriter in eo triumphare fides cristiana censenda est, quod adversariorum arma, humanae rationis artibus ad nocendum comparata, humana ipsa ratio potenter expedite repellat."

In Angelici Doctoris Philosophia instauranda tota versatur Encyclica, ac oportune mihi repetendum quod ab Excelentissimo Antistite Cordubensi, Divi Thomae Philosophiae pervehementi defensori, scriptum paucis ab hinc diebus, scilicet," factum esse praenotandum, ac factum in historia fundatum, ea fuisse saecula majoris tum splendoris tum Catholicismo gloriae, in quibus plus et splendoris et gloriae Angelici Doctoris et nomen et doctrina scriptaque meruere." (21)

---

(21) Epistola pastoralis super "*Aeterni Patris* Encyclica," in Ephemeride *El Siglo Futuro*, mensis Septembris elapsis diebus decimo nono ac vigessimo.

Sed jam finem dicendi faciam, Illustrissime atque Reverendissime Domine. Confiteor vere me ad eam rem digne pertractandam imparem omnino, hoc perbrevi temporis spatio, fuisse: sed vestra erga me indulgentia suppleat quod mihi ad hoc opus peragendum defuit. Illud ante oculos habendum, humanitatis artes, sive rhetoricae ac poeticae, sive historicae atque philosophicae nominentur, sacro Christianismi fonte sanctificandas esse, earumque studia in quantum ad juvenes in ecclesiasticis erudiendos disciplinis attinent, maximi esse momenti.

¿Et quomodo verba, ut mos est, tibi, Reverendissime Praesul, allaturus? ¿Quis, inquam, sum ego, omnium minimus, ut te pro omnibus erga Seminarium vigiliis et curis laudibus efferam? Nondum enim gregem tibi concreditum noveras, simulac sanctum chrisma tuo capite delibutum sentieras, et jam ex tuo corde haec verba profusa manabant, "maximam tibi spem in Seminario esse sitam."(22) Jam multa quidem antea de te audivimus, et humanis atque divinis scientiis virum praestantissimum esse, et aula Apostolici Nuncii in Hispaniarum Ecclesiae juribus strenue tuendis maximopere fuisse versatum. ¡Velit Deus tua egregia opera, ut Gaditanus Pastor, in ejusdem Dioeceseos gloriam redumdent, et maximam cleri populique christiani aedificationem conferant!

¡Utinam vero mea vox, spatia percurrens, ad illius Venerabilis Antistitis aures veniret, qui per tot annos, in Seminarii studiorum inauguratione, ipsam quam occupas sedem etiam occupare solebat! ¡Ille enim, qui tot exantlatis laboribus, dierum plenus, aerumnisque confectus valetudinis improbae, a nobis abest...! ¡ille, inquam, qui pastorali dimissa solicitudine, soli Deo vacare, optimam partem eligendo, sibi constituit, et assequutus est!

Ac vos, dignissimi comprofessores, quibuscum jam per annos decem et octo litteris informandi in Seminario juvenes opus mihi gratissimum impleo, et inter quos mei etiam

(22) Carta Pastoral dirigida al Clero y fieles de Cádiz en el dia de la Consagracion Episcopal.

magistros dilectissimos aliquos video, honor decusque hujus gymnasii percelebris, ex quo tot tantique prodiere ornatissimi viri, [c] mihi liceat, indignissimus quamvis, celebrare ac extollere. Magni proculdubio momenti res est, adolescentes, sacra altissimaque ministeria accepturos, scientiis litterisque initiari. Vos certe ad hoc populorum regenerationis opus maximam quidem opem affertis, nam ii qui in sortem Domini vocati ex ore vestro verba sapientissima audiunt, non multo tempore post, lumen mundi et sal terrae efficiendi.

Postremo igitur ad vos, amantissimi juvenes, convertar. ¿Hunc ego Seminarium non amem? non diligam? non omni ratione celebrandum putem? Iis in aulis, ut vos, litteratissimorum virorum scientiis et verbis meum animum nutrivi: sub iis tectis, ut vos, humanitatis artium et sublimium dogmatum libros nocturna versavi manu, versavi diurna: hisce aris, ut vos, angelorum pane fui per plurimos annos refectus, cum iis, mihi carissimis domibus, pereminens Pastor me hospitio recepit: et maximo cum gaudio felicissimam diem repeto, qua hujus Seminarii vestem meis humeris superpositam vidi. Ad vos quidem mea verba novissima faciam. Dirigat Increata Sapientia mentes vestras et vos Spiritu sapientiae et intellectus adimpleat.[23] Non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis vobis sermo sit, sed in ostentione spiritus et virtutis. [24] Fulgeat scientia vestra quasi splendor firmamenti ad multos in justitia erudiendos, et sic fulgetis etiam et vos sicut stellae in perpetuas aeternitates. [25]—Dixi.

---

(23) Eccli., Cap. XV, vers. 5.

(24) Paul., ad Corint., Epist. I, Cap. II, vers. 4.

(25) Dan., Cap. XII, vers. 3.

ADNOTANDA.

(a) En institutiones citatae, a Carolo Borromaeo scriptae. "Pars prima.—Caput. II.—De studiis.—Ut studia Clericorum, majore quo fieri possit ordine procedant, et unicuique abunde suppeditentur ea, quibus ad studiorum metam pervenire possit; statuimus ut infra scriptae classes in Seminario sint.—Utrique vero explicetur mane aliquis liber *Epistolarum familiarium* Ciceronis prout praescribetur; a prandio autem Ovidius *de Tristibus*, vel *de Ponto*, aut aliquis ex Virgilio facilior liber aestivo tempore: quas omnes lectiones sequenti die, tum mane, tum vespere, statim ac in gymnasium venerint, memoriter recitent.—Singuli autem utriusque ordinis in stylo, et compositione eleganti exerceantur, et in eruendo vero sensu auctorum qui latine scripserunt confirmentur.—Explicetur illis *M. T. de Officiis*, quibus etiam S. Ambrosii *Officia* inserantur; aut *de Amicitia*, aut *Tusculanae Quaestiones*, aut *Epistolae ad Atticum*.—Ex poetis Virgilius explanetur, relictis iis partibus in quibus aliquid est minus honestum: Horatius item correctus interdum... *Rhetorica* S. Cypriani, et aliqua ex Ciceronis *Orationibus* facilioribus explicetur, quales sunt illae *Pro M. Marcello* et *Pro Archia*."

(b) Duo sunt mihi latinae poeses quae hujus rei probationem afferunt: quarum prima hexametris plusquam trecentis constat, ac fuit scripta ab aliquibus Sacerdotibus a Gallia, eorum patria, extorribus, et ad Episcopum Cordubensem in gratitudinis pignus dicata. In lucem edita apparuit Tomo III, novae seriei, *Apis Romanae*, anno MDCCCLXVIII, Parissis, eique talia praecedebant verba: "La Eglogue de prêtes exilés. —Plusieurs prêtres francais, déportés en Espagne pendant la Terreur, furent accueillis par l'Évêque de Cordoue avec une touchante bonté. Ils lui témoignèrent leur reconnaissance par la pièce latine suivante, qui a été trouvée dans les papiers de l'un d'eux, M. Cardailhac, mort curé de Saint-Jean-d'Angély, après le Concordat."

Altera poesis in *La Semaine catholique de Toulouse* typis fuit exarata anno MDCCCLXIX, et, ut ita credo, usque hodie inedita in Hispania permansit. Minima cum sit, eam infra scribere volo.

"Exmo Dno Floriano DESPREZ, archiepiscopo Tolosano, grati amoris ergo, provincia Aragonia, Soc. Jesu, in Galliis exulans.

Exul eram patria, senis vir grandior annis
Dulcibus arcebar, matre juvente, focis.
Nunc pia me profugam retines ô Gallia mater,
Meque foves ulnis, cara Garumna, tuis.
Hic ego non bello, lacrymisve, sitive, fameve,
Exulis aut duris casibus exul agor.
Me tamen infelix, fateor, mea mater, in horas
Nocte dieve graves, unica cura, tenet.
Sed, mihi si cereris communia dona negentur,
Sique suum pistor forte recuset opus:
Te tuus, alme Parens, artes quis nescit amoris?
TE PANES DOCUIT PINSERE DOCTUS AMOR. *
Haec tua vox animis praestat solatia moestis,
Auribus haec resonat, corde reposta manet."

¡En quomodo gratitudo reciproca exules gallos hispanosque inspiravit ad vicissim exprimenda vota ex grato corde profusa, in hac vere universali lingua!

(c) Ut veteres praetermitam, inter plurimos qui ex hoc Seminario prodiere, merito recenseri debent, Excelentissimus D. D. Joannes Josephus Arbolí, eloquentissimus inter primos et in multis disciplinis valde eruditus, qui hanc decoravit sedem Gaditanam.—Exmus. D. D. Josephus Maria Urquinaona, vere infatigabilis Barcinonensis Episcopus ac in scientiis versatissimus, nostri Seminarii aulis edoctus est.—Exmus. D. D. Sebastianus Herrero, felicissimus christianus poeta et orator, hodie Episcopus Vitoriensis, et juvenis seminarista gaditanus et postea Rector studiorum fuit. —Eadem munia antea in hoc gygnasio exercuerat Illmus. D. D. Ildefonsus Joaquin Infante, hodie Praelatus Teneriphensis sapiens ac praeclarissimus.—Postremo in Thomistica Philosophia Magister praefulgens, Illmus. D. D. Thomas Costa, Illerdensis Antistes, ex ejusdem Seminarii cathedra ad illam fuit sedem evectus.

---

* Ceci est une gracieuse allusion à une parole que Mgr Desprez avait dite, il y a quelques mois, à ces bons exilés: *"Je suis prés a partager mon pain avec vous, et s'il le fallait, à le pétrir de mes propres mains."*